D. P.

Theſes Theologicæ

DE

Traductione hominis Peccatoris ad vitam.

8°
V.
251.
12.

LONDINI,
Impenſis *Samuelis Thomſon,*
MDCLII.

Theſes, de traductione Peccatoris ad vitam.

Theſis 1.

Deus cum ſit *Exo.* 3 14. ens abſolute primum, propterea primum eſt ac ſummum bonum: & quia primum ens, proinde omnia ab ipſo ſunt: quia vero ſummum bonum, ſummus finis ad quem tendunt. Si enim aliquid eſſet, quod non eſſet ab ipſo, plura prima eſſent, & proinde non eſſet abſolute primum: & ſi ſummum bonum, ſummus finis eſt, quia bonum finis eſt; & ſi ſummus finis, omnia ad ipſum tendunt, alioqui non eſſet abſolute ſummus. Hinc Deus Apoc. 22. 13. ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος, omnium entium ad ſeipſum Motor eſt. Irrationalium quidem, quia ſenſuum conclusa limitibus, mediate duntaxat: rationalium verò ſelectæ multitudinis ad fruendum ipſo. Cum enim proxime per intellectum & voluntatem ad Deum accedant, proxi-

mum eorum bonum erit unio cum eo quod ſummum eſt, ſeu fruitio Dei: quæ divinæ amicitiæ & favoris eſt adeptio.

2. Intentio finis hujus pro modo independentis ac ſupremæ voluntatis ex conſilio agentis ſuo ABSOLUTA eſt. *Rom.* 11. 34. *Iſ.* 40. 13. Nec enim ἀναίτιος poteſt is eſſe, qui à conditione determinatur extrinſeca: cui præſcribitur ordinis ratio ab eo quod ordinatur ab ipſo: qui diſcit ab homine agendi modum ac finem: adeoque regitur ab ipſo ut menſurante actum ſuum. Quin contra ἀναίτιος homo infinitus & inordinatus foret, quippe diſponeret ſeipſum ad finem prius, quam diſponatur à Deo.

3. Hinc multo minus ex præviſa fide; hæc enim medium eſt ad fruitionem Dei qui finis eſt: idcirco non antecedit intentionem finis ut conditio.

4. Via ad finem iſtum, exhibita homini fuit in ſtatu primævo; quo viribus inſtruebatur idoneis, quibus Deo, ſi voluiſſet, potuit frui. Verum quia finitus, ideo mutabilis, & quia mutabilis, ſeducente Diabolo deſcivit à ſtatu illo: unde ſummi boni interrupta eſt adeptio. Iis tamen quos ad finem iſtum deſtinarat, ex miſericordia reconciliari voluit Deus: ita tamen ut ſimul juſtitia maneret illæſa: quare tum pro o-

fen-

ſenſa *ſatisfacere* oportuit prius, tum in *conditionem juſtitiæ* reſtaurari. Quia vero hoc à nobis, quippe *nullarum virium, Rom.* 5. 6. effici non potuit: aut per alium effici oportuit, aut de reconciliatione noſtra actum. Hoc autem quia *perficere* non *debuit* alius niſi homo, nec *ſufficere potuit* niſi Deus: hinc Chriſtus θεάνθρωπος mediator deſignatus; qui *redemtionem* à peccatis virtute *ſatisfactionis*, & *reſtaurationem* virtute juſtitiæ procurans, reconciliationem impetravit iis, quibus voluit Deus.

5. Hinc quotquot reconciliandi fuerant, propter Chriſti merita reconciliari oportuit: proinde ut applicetur reconciliatio, merita Chriſti applicanda prius. Applicanda vero homini cum ſint qua intellectu ac voluntate prædito, propterea ut ab ipſo *Scal. ex.* 307. *ſect.* 27. *lin.* 2.) *recipienda*, applicanda erant. Hinc fœdus Dei cum electis emergit: ſe *recipientibus* Chriſtum reconciliatum iri. Conditio à parte Dei, reconciliatio eſt, in qua tamen debitor non nobis eſt Deus ſed ſibi, qui ſeipſum negare non poteſt. Ea etiam finis ipſe hominis eſt, non quidem quoad rem alius à *fruitione* Dei; relatione ſolum diſtinctus interruptionis præviæ. Conditio vero à parte noſtra eſt Chriſti Receptio: conditio autem non ut *ab*

homine diſpenſatore actus hujus, ſed ut *in* homine quid ad reconciliationem prærequiſitum.

6. Applicatio utriuſque conditionis fit primo per *deductionem* earum ad actum ut ſint: deinde per *conſervationem* in actu ut porro ſint. Deductio autem ad actum eſt Receptionis Chriſti prius, cum ex ea tanquam medio prærequiſito Reconciliatio ineatur. Hæc vero *vocatio* dici ſolet, quæ Motus eſt à Deo, quo Chriſti receptionem electis ingenerat.

7. Motio hominis eſt: ideo *Movens* requiritur; & *Mobile* quod movetur; & *Motus* moventis actus; & *Res Motu Facta*. De quibus ordine.

8. MOVENS eſt, qui intendit finem: principium & finis Deus. Movens autem eſt, ut conſilio agens; proinde decreto, quod pariter ſecundum proportionem decreti circa finem, abſolutum eſt. Nec enim finis abſolute ab ipſo intenti, ex fallibili conditione ſuſpendi eventus poteſt.

9. Et ſicut in comparatione ad finem: ſic qua id quod decernitur eſt effectus *entis primi*; à quo ſicut *Rom.* 11. 36. omnium entium dependent *eſſentiæ*, *virtutes*, *actiones*, ſic præcipue *Fac.* 1. 17. ſupernaturalis boni. Hinc vocationem independente conſilio

filio producens, tum per *ſapientiam* de forma deliberat, tum per *voluntatem* intendit ſecundum illam formam ex ſuppoſitione potentiæ. Forma illa exemplar eſt, & menſura veritatis in re, ut prout ipſa fuerit, ſic rem fore neceſſe ſit dependenter ab ea. Hinc ex conditione in re non vult converſionem Deus, ſed ſecundum deliberationem ſapientiæ ſuæ, voluntas intendit, & potentia exſequitur immutabilis. Et quia ſecundum ſapientiam & bonitatem vult & poteſt, proinde futuram prævidet virtualiter à voluntate pendentem.

10. Ex ſuprapoſitis hiſce fundamentis concidit error in gradu triplici. Primus, decretum Velleitatis, quo determinationem ad converſionis actum, ad quam neceſſitare hominem non poſſe creditur, *deſiderare* ſolum, fingitur Deus. Secundus, deſideratæ illius determinationis *prævi ſio* per ſcientiam mediam, qua dependentis ab homine. Tertius, ex prævi ſa determinatione, conditionati concurſus intentio concomitanter in effectum. Et primo *Velleitas* illa decretum non eſt: hoc enim imperantis eſt ex ſuppoſitione potentiæ: illa vero purus voluntatis actus cum potentiæ defectu. Si enim quod poſſum volo, effectum impero: ſi quod non poſſum, deſidero; aſſequi enim non poſſum,

desidero; assequi enim non possum quod volo. Proinde etiam indignum Deo. Nam *Omnipotenti* potentiæ defectum adfingit, & assequendi voti incertam spem *Felicissimo*. Quid enim felicitas aliud, nisi boni expetiti certa fruitio? Quid vero omnipotentia, nisi potentia omnium in omnibus? Denique, objecti etiam ratione impossibile. *Primam* enim *potentiam* transfert in hominem, qui creatura est & ψυχικός.

11. Proinde nec observatur determinatio illa scientiæ mediæ. Hinc enim idea rei prius in creatura esset, quam in Deo: cognitionis etiam divinæ principium à re finita procederet: ipsumque adeo summum bonum, omnipotens, infinitum, purus actus, dependenter à voluntatis creatæ consilio & *providentia* moveret. Quinetiam impossibile idem. Quippe scibile est ante scientiam, sicut τὸ ὂν ante τὸ πορί. Præest autem, dum præcedit ipsus ἔτι, οὐσία, ὕπαρξις. At nihil est nec exsistit, quod à Dei voluntate non est nec exsistit. Si præscit igitur priusquam velit, præscit nihil. At si aliquid esset in homine, quod sine præeunte voluntate præsciret; quale est in fieri præsciretur à causa dependens. Causa vero si non prædeterminetur à Deo, mere contingens est. Hinc incerta vicissim esset divina cognitio. Quare præscientia

entia non eſſet, quæ effati eſt non contingentis ſed neceſſarii judicium.

12. Deniq; corruit ſimul, ex conditione prævisa concurſus intentio, quippe quæ tũ independenti naturæ Dei repugnat, tũ vocationis decretũ non eſt, ut poſtea declarabimus.

13. MOBILE vero eſt ad fruitionem Dei ſelecta multitudo. Adjunctum eorum ἐυπερίστατον, eſt conditio defectionis à gratia primæva. Hic licet logica ſuperfuerit ratio, ſeu *principium quod*, unde remota ac paſſiva materiæ potentia; periit tamẽ *principiũ quod*, ſive formæ facultas ad bonum. Hinc inclinatio ad malum ſolum: ἀδυναμία vero totalis ad bonum. Ideoque in ordine ad operandum corrumpuntur tam voluntas quam intellectus: quippe actus unice malus præſupponit fontes malos à quibus fluit. Intellectus quidem, qui quamvis confuſe per 1 *Cor.* 1. 14.) *irradiationem ſigni*, quid à Deo vocetur bonum ſciat: ipſe tamen *ſtultitiam* judicat, & ſub forma mali reflectit ad voluntatem objectum bonum. Voluntas vero, quia nil aliud ab intellectu monſtratur niſi malum, cæcum ſequitur lubens ducem, eodem defectibili acta principio.

14. Conditionem talem evincit ratio, probant ſcripturæ. Nam ſuppoſita facultate ad bonũ, ſupponitur forma bona: hinc quamvis

lapsi, arbores essemus bonæ placentes Deo. Deinde nihil amissum ex creatione per lapsum esset, si non facultas, quippe virtus sola & potentia collata ante lapsum fuit, qua tendere potuit Adamus, si voluisset, ad finem, Deum. Postremo, non opus Christo foret, ut per pretiosi sanguinis effusionem nos justos faceret. Quippe per propriæ virtutis intensionem, homo restitui justus in se potuerat, si facultas ad bene agendū superfuisset. Scripturæ vero nos omnes proclamant *Eph.* 5. 8.) *Tenebras*, cœcos, *Is.* 58. 13. *Deut.* 12. 8. *Prov.* 12. 14. *Is.* 66. 3. *Num.* 15. 39.) bonumque nostrum cœlesti opponunt bono; *Mortuos* etiam, quippe quibus vis vitalis extincta omnis est ad hujusmodi actus vitales. Neque vero mortui il sunt solum, qui veritatis ignorant viam, sed *Col.* 2. 13. *Eph.* 2. 12.) irregeniti qualescunque omnes. Quid enim? Regenerationis vivificatio pars est. Vivificantur autem quibus vita confertur. Idcirco cum quibus vita confertur mortui sint, mortui omnes irregeniti. Porro irregenitus nullus in Christo vivit, quia fide caret: hinc vitam habet nullam; quia omnis, quam habemus, vita à 1 Joh. 5. 12. Joh. 15. 4. 5. Christo est. Qui enim filium non habet, οὐκ ἔχει ζωὴν ἑαυτῷ. Deinde, neque mortuus est, cujus facultas *li-*

g4

gatur ſolum, ſed cujus vis *aufertur* integra. Ligata enim facultas ad vitales actus, non facit mortuum ſed ſopitum ſolum. Vita enim & mors in eodem conſiſtere ſubjecto vel minutiſſimis gradibus non poſſunt. Denique, quæ Dei ſunt non capit 1 *Cor.* 2. 14. v. 12. *animalis*, neque quidem poteſt. Hoc quidem, quia πνευματικῶς diſcernere non poteſt: Id autem, quia *Spiritum* quo diſcernat non habet. Spiritu vero non carent rudes ſoli, ſed omnes irregeniti.

15. Neque vero propterea quia facultas ad bonum tollitur, proinde libertas arbitrii. Libere enim non volunt bonum, & libere volunt malum. Credere enim *Jo.* 12. 39. *non potuerunt* quidam, quia ſcriptum fuit. Neque tamen libertas ſublata fuit. Peccantibus in ſpiritum ſanctum ἀδύνατον reſipiſcere: *Heb.* 6. 4. Impoſſibile hoc abſolutæ negationis eſt, ut patet ex *Heb.* 10. 26. 27. & tamen liberi manſerunt, quibus hoc fuerat impoſſibile.

16. Atque ſecundum hoſce prædictos imprimentis ac recipientis modos, inſtituitur ipſe MOTUS. *Ideoque in explicando motu ad Moventis & Mobilis naturam recurrendum erit.* Motus autem hic eſt exercita cauſalitas agentis Dei, ſive potentiæ ipſius effluxus ad receptionem Chriſti procreandum.

17. Motum

17. Motum vero hunc quo moralius ac efficacius instituat Deus, præparationem aliquam præmittit, qua tanquam præambulatione paretur via. Ideoque quia via illa est ad vocationis actum necessaria, proinde per metonymiam effectus, vocatio dicitur. Quia vero propter remotiorem ipsius locum & ordinem ad non vocandos etiam extenditur; hinc ut ratione *ordinis*, sic etiam *objecti*, generalis appellatur.

18. Quia vero præparatio hæc actio est à movente promanans, ideo *scopum* certum, & *actum* certum quo est quod est, & *terminum* habere necesse est. SCOPUS vocationis hujus præparatoriæ ex objecti conditione eruendus erit. Hæc vero est exsistentia non vocatorum sub fœdere legali. Hinc viribus liberi arbitrii natura adhæresçunt, iisque justificari credunt, quippe fœderis illius fundamento. Hinc contra perditam ac deploratam eorum ostendere conditionem vocationis hujus scopus est, qui in fœdere isthoc hærent: ut sic ducantur ad novum. Præsentis enim miseriæ cognitio, via ducens est ad conditionem feliciorem quærendam.

19. ACTUS vero quo præparatio hæc perficitur, est vis mediorum, quæ à Deo destinantur ad eundem finem. Media vero tria concurrere interdum solent: quorũ unum universale,

universale, reliqua communia. Illud constituunt partim forinseca naturæ documenta, partim intrinsecæ προλήψεις & innatæ notiones. Posteriora vero, verbum ordinarie, & nonnunquam *Heb.* 6. 4. generalis influxus Spiritus. Illud præcipue *Rom.* 7. 7. lex est; hic vero dona comproducit generalia, quibus præparatio fit efficacior.

20. Dona vero illa, partim in *cognitione* sua sunt, partim in *sensu*, partim in *actione*. Cognitio quidem non vocatis rerum Spiritualium ineſt: fidelium tamen cognitioni longe dissimilis. Nam cum res spirituales in sensu fidelium exsistant: per immediatã irradiationẽ & effluxũ solisipsis innotescunt. Hinc non vocatis per signa tantum ab iis qui sentiunt eas effigiatæ repræsentantur. Inde quasi in pictura vident eas, idq; per formam naturalem imagine naturali vestitas. Sicut igitur à pictura res signata indistincte proponitur, præcipue si res sit supernaturalis, & imago naturalis: ideo indistincta est eorum cognitio. Nec mirum: *Scal. ex.* 307 *sect.* 27. ad actum enim in objectum talem oportet esse potentiam ad objectum ordinatam, quale objectum ipsum est. Objectum autem hoc formaliter supernaturale est, naturalis vero intellectus irregeniti potentia. Quare objectum excedens ipsam, est ejus respectu ἀκατάληπτον.

21. Quæ

21. Quæ vero in ſenſu, præcipue gaudia quædam ſunt, eaq; in gradu ſummo ex audita regni cœleſtis felicitate concepta. Nihilominus haud ſimilia gaudio fidelium: tum propter *ſinceritatis*, tum etiam *ſoliditatis*, defectum. Radicem enim non habent ullam, *Matt.* 13. 20. ex petroſa terra naſcentia, etiam *dum exercentur*. Hinc exſultatio hæc in *fruitione* Dei non eſt: ſed non raro propter auditas Beatorum in cœlis amœnitates, quas homines illi ſub ratione terrenarum apprehendentes, dum ſibi fingunt poſſibiles, exſultant. Et quia ſincera non ſunt, proinde nec ſolida. Nam leviter & perfunctorie tantum inſtar coruſcantis fulguris inſinuantur, & veluti mucrone & extremitate linguæ prælibantur, ac ſi in ſuperficie ſolum & convexitate cordis hærerent: Hinc iſtiuſmodi ſenſus *Heb.* 6. 4. *Luc.* 14. 24. γεῦσις dicitur: hinc *Matt.* 13. 20. εὐθὺς gaudere, & *Joh.* 5. 35. πρὸς ὥραν tantum, non penetranter *Hebr.* 6. 19. εἰς ἐνώτερον, ſed hærentes in atrio.

22. Denique in actione *Mar.* 6. 20. Πολλὰ γὰρ ποιοῦσι quæ quoad ſubſtantiam actus bona ſunt: Verum enim vero quia radice carent, unde ὀρθὸς λόγος dans formam actui, ſubiective mala ſunt. Proinde nec in finem bonum. Non enim reſpiciunt Deum

Deum propter se, sed propter aliud: sive illud sit *Joh.* 5. 35. Evangelii novitas, sive 2 *Reg.* 12. 2. reverentia superiorum, sive *Act.* 5. 2. opes & dignitates, sive bonum nomen, aut voluptates, sive quodcunque aliud quod non est Deus. Sic autem cultum divinum ordinantes ad ulteriorem finem, istum sibi summum faciunt bonum, & inferius Deum ordinatum ad illud.

23. Denique, cum vocationis hujus scopus in intentione agentis sit prosternere fiduciam & confidentiam in fœdere legali, ideo actuum istorum in exsecutione TERMINUS idem erit. Confidentia autem illa præcipue in duobus exseritur: primo in opinione potentiæ ad faciendum quod vult Deus, si quod vult scirent: deinde in opinione justitiæ propriæ, & justificationis ex eadem. Hinc Termini duplex gradus. Primus, quo ostenditur *officium*, & tollitur prætextus *Rom.* 3. 19. 20. *ignorantiæ.* Secundus, quo ex officii cognitione *Rom.* 7. 7. *Reatus ostenditur*, & tollitur prætextus *innocentiæ.* Hoc autem fit, dum omissio officii cogniti, & impotentia faciendi retegitur. Ex utroque horum conflatur ἀναπολογία, qua peccator ex officii cognitione reatus inevitabilis evictus, despondet animum, quasi nihil habens, quod retorqueat.

24. Pro

24. Pro gradu autem & ordine mediorum, variat effecti gradus & modus. Principia quidem in natura & reſiduæ in conſcientia ſcintillæ officium indicant & reatum explanant. Lex vero repræſentando ad vivum. Spiritus vero influxus confirmando magis, dum indelebile ſigillum ejuſdē infigit. Hinc proinde *Rom.* 1.20. illa inexcuſabilem faciunt; *Matth.* 11.22.24. Verbum autem magis: at *Pet.* 2.20.21. Spiritus influxus maxime.

25. Atq; hinc immediate *Deſperatio* ſequitur, qua peccator ſpem juſtificationis omnem in ſe ſublatam videt. Atqui ſic effectus jam proxime diſponitur ad Receptionem Chriſti, quippe in ſe nihil cernens, extra ſe ſolum ipſum videt, unicam ad ſalutem viam. Atq; huc uſque proceſſus divinus communis. Per ſe quidem intentus tam Reprobis quam electis. Præparationis tamen relationem induit in electis ſolum ratione *operantis*: in reprobis vero ratione *operis* per accidens fit, quod non procedat ulterius.

26. Præparationem hanc ipſe conſequitur Motus. Hic autem primo *in ſe ſpecificationem* requirit aliquam, per quam Mobili & rei motu productæ proportionetur: poſtquam autem *talis* fuerit, *certum ordinem* habet, in quantum à movente *dirigitur* ſecundum receptivitatem Mobilis; dum autem

certo

certo ordine progreditur ad rem *motu producendam, certa vi* procedit: & certa vi procedens, proportionatũ obtinet *exitũ* Inde secundũ naturam Motus quatuor explicanda veniunt: tum motionis hujus *Species*, & *Ordo*; tum *Gradus*, & *Terminandi Modus*.

27. Ratione speciei, tum *Moralis* est, tum *Physicus*. Cum enim res motu facta sit effectus physicus, causa indiget agente physice. Quia vero vitalis idẽ est & liber, è voluntate per collationem egrediens, causa morali indiget, qua tum objectum vocandus intelligat, tum per argumenta moveatur ad illud. Quare causarum harum concursus evidens est & actus & possibilitas: sicut videre est in præceptore tam suasu quam ductu scribentis pueri dirigente manum.

28. *Motus Physicus* & vere efficiens de quo præcipue controvertitur, tum ex natura *Moventis*, tum conditione *Mobilis*. (*Thes.* 16. sicut antea monuimus) elucebit. Ex *natura quidem moventis*. Determinatio enim voluntatis ad conversionem, est ens proprium, verum, Physicum: propterea verus ac proprius effectus ipsius. Hinc sicut à decreto ipsius pendet ut medium ad finem ordinatum: sic à physico ipsius influxu producitur. Quod si igitur hæc hominis determinatio non prædeterminetur à Deo physice: primum

mum erit homo determinans in genere entis phyſice non determinatum; primum movens non motum; primum agens, non actum ab alio: ideo determinationis ſuæ prima cauſa, primum principium, ἀναίτιον, independens. Et quia primum movens, propterea duo prima erunt, & ſic Deus non erit ens abſolute primum. Neque vero nodum ſolvit influxus in effectum phyſicus, cum determinatio ad effectum ſit etiam ens proprium, idque vocationis effectus: quippe quæ motio mobilis eſt, non cum eo ſolum. Neque ſcrupulum tollit vis virtutem conſervans & eſſentiam: ea enim ſolummodo ſuſtentat *eſſe* agentis, non movet aut determinat illud *eſſe* ad determinatum actum. Alioqui univerſi moverentur ex æquo; tum peccantes in ſpiritum ſanctum, tum ipſe Diabolus. Neque moralis cauſæ valet ſubſidium. Hæc enim voluntatis ad converſionis actum motio, verus eſt ac phyſicus effectus entis primi: proinde præmotionem ipſius phyſicam eſſe neceſſe eſt. *Moralis motus.* Deinde, non proprie movet aut determinat agentem moralis cauſa: ſed ſolum adjuvans eſt, quam agens ſeipſum movet. Nam quantum ad *eſſentiam*: nihil eſt aliud, quam argumenta intellectui objecta, ad fidem quæſtioni faciendam. *Applicatio* vero

fit, primo per immiſſionem actus rei in intellectum, miniſterio Rhetoricæ ac Grammaticæ: unde Receptio in intellectu; unde *intellectus* ab objecto *patiens*. Recepta vero notione tranſit patiens in agentem. Prout enim de argumentorum vi vel infirmitate diſcurrendo judicaverit: verum aut falſum concludit: bonum aut malum oſtendit voluntati: voluntas eligit, aut repudiat. Hinc *virtus* cauſæ hujus non conſiſtit in influxu vere motivo: ſed per paſſivam receptionem, occupato judicio ſubſternitur, & agentis activitati ſubjicitur, ut objectum cognitum.

29. NATURA MOBILIS. Lapſus enim δύναμιν ei abripuit omnem ad ſupernaturalia. Hinc Phyſica opus vi, qua prædeterminetur ad ea, per Phyſicam virium ingenerationem. Alioqui non ageret, virium defectu. Neque vero objectiva ſuaſio ad hoc ſufficit. Non enim confert vim, ſed præſupponit; ſuadetur enim agenti, ut ſua utatur, quam habet.

30. Evidens idem eſt motus, ex infantum exemplo. Quippe ſanctificati ſunt per inhabitantem Spiritum: in quibus tamen non alio motu quam phyſico, operari Spiritus poteſt. Denique ſcripturæ ſuffragia conſpirant. Hinc enim vocatio *Col.* 2. 11.)

circum-

circumcisio dicitur, hinc *Deut.* 29. 4. *cordis donatio*, *Act.* 16. 14.) *apertio*, *Ezech.* 36.) *compulsio*, *Psal.* 51. 10. 2 *Cor.* 4. 6.) *creatio*, *Eph.* 2. 5. *Ioh.* 5. 25.) *resuscitatio*, *Ieh.* 33.) *regeneratio*, *Luc.* 14. 23.) *compulsio*. Et quod exsistat Joh. 6. 34. Nemo venit ad me nisi tractus à patre; Tractio hæc sola suasio non est. Nam 1. omnes tracti veniunt ad patrem v. seq At omnes suasi non veniunt. 2. Alloquitur hic Judæos Christus, quibus hoc tempore suadebat ad fidem. Eos vero non converti affirmat quia non trahebantur. Tractio igitur non est suasio. Adhæc discipulos detecturos compellans, quod dixerat repetit: Eos non credidisse quia tracti non fuerant, nec datum iis à patre unquam. At certe æque ac cæteris Apostolis suadebat iis per verbum Christus.

31. ORDO motus hujus sicut est in se; sic tum *conjunctim* est explicandus, tum *divisim*. Et primo. Motus Dei vocantis, est actus in hominem absolutus, non exspectando determinationem ipsius conditionatus, & partialis in effectu concursus. Est enim de vocationis essentia, ut prioritate causalitatis feratur in hominem, ut ducatur ad Terminum. Sic motio omnis in mobile: alioqui non erit motio Mobilis. Quinetiam necessaria eadem est præmotio, propter *mo-*

ventis

ventis cauſæ primæ perfectionem, tum *mobilis* ſeu cauſæ ſecundæ defectum & dependentiam. Concinunt etiam ſcripturæ. *Ezek.* 36. 27. *Pſal.* 65. 5. *Zach* 13. 9. *Jer.* 31. 18.) Facit enim Deus, ut nos faciamus, quod ipſe vult bonum. *Phil.* 2. 13. *Gal.* 4. 9.) Quare antecedens eſt hic Motus influxus in cauſam: qui *prædeterminatio* dicitur.

32. Influxus hic in Mobile, in actu primo eſt, qua tendens ad principii impreſſionem. In ſecundo actu, qua præmovet ſecundum principium impreſſum ad actum elicitum. Actus hic quia vitalis & liber à motu non Dei ſolum, ſed hominis etiam, quia movetur pendet. Hinc movet & determinat hominem Deus, & ſeipſum homo. Nec tamen duplex motus, unus ab homine, alter à Deo, ſed ab utroque idem. A Deo ut cauſa prima, ab homine ut ſecunda. Ab illa vero natura prius dum per cauſalitatem in ſecundam hunc motum ciet; ſic enim inſtrumenti motus eſt cauſæ principalis motus: ab iſta vero prius propter prævium in illud cauſalem influxum.

33. Hinc videre eſt, quomodo Deus & homo ut TOTALES cauſæ IMMEDIATE concurrant ad eundem actum. Deus in

in *suo genere* subordinando sibi secundam causam. Homo in *suo genere* instar instrumenti movendo sub prima. Hoc enim poscit natura Dei, qui integer, & absolutus est bonorum actuum autor. Immediate vero concurrit Deus, non quidem quia sine medio, sed quia intime.

34. Concidit hinc CONDITIONATA egressus RATIO, & CONCURSUS PARTIALIS. Illa est quando hominem PARATUM & EGREDIENTEM exspectare fingitur Deus, ut suum adjungat influxum in effectum. Ratio hæc sicut prædicta est opposita motui: sic intentioni divinæ, unde modum ac mensuram accipere motum oportet. Proinde pugnat tam cum natura MOVENTIS quam cum conditione MOBILIS. *Moventis* quidem. Nam sicut omnibus creatis rebus, sic etiam conversioni hominis præscripsit & imposuit ordinem ac seriem Deus per *sapientiam*, secundum quam per *potentiam* ordinentur ac disponantur ad seipsum. At conditionatus hic influxus tum sapientiam tum potentiam, ac proinde totam providentiæ seriem evertit. *Sapientiam* quidem: si enim exspectat determinationem hominis, ut agat, vel non agat, hoc vel illud; tum de Deo secundum consilium suum providet homo,

eumque

eumque diſponit ad intentionem finis ſui. Proinde caſualiter evenit & fortuito determinatio illa hominis, unde τάξις tollitur, per Dei ſapientiam operibus ſuis impoſita. Deinde & *potentiam* labefactat. Nam extra illius activitatem conſtituit hominem, ſi determinationem non cauſet Deus, ſed exſpectet eam, ut operetur. Subordinat etiam Deum, tum in *ordine* agendi, tum *dignitate*. Illo, dum ipſum ſecundam cauſam facit, exſpectantem *paratum* hominem, priuſquam agat. Hac vero, dum potentiam paſſivam adſcribit ei, qui purus actus; dum à cauſa ſecunda determinatum facit ad actum ſuum. Poſtremo ſubſervire homini Deum & ancillari facit: certo enim velle Deum ſtatuit ſi velit homo, quia ipſe voluit: velle autem poſſe Deum, quod homo rejicere ac ſuſpendere poſſit & ſoleat. *Mobili* etiam reſiſtit: ſi enim exſpectat Deus paratum hominem ut ipſe agat, tum poterit animalis à ſe, non actus à Deo, paratus eſſe ad ſpiritualem actum.

35. Et ſicut conditionata egreſſus ratio: ſic una concidit CONCURSUS PARTIALIS, quo egredienti homini per virtutem ſuam viciſſim admiſcere fingitur Deus, ut tanquam cauſæ ſociæ ſimultaneo congreſſu coeant ad eundem actum, Duo igitur

ei

ei inſunt quæ ſupra poſitæ reſiſtunt veritati. Unum: INFLUXUS INDEPENDENTIA. Alterum: PARTIALIS ET MANCA VIRTUTIS ADMIXTIO. Illa præmotioni reſiſtit: hæc integritati divini Motus. Atque illud quidem partialibus cauſis proprium; una enim virtutem non habet ab altera, ſed à ſe principiatam ad cooperandum adfert: alioqui ſubordinatæ eſſent. Hoc autem tum naturæ *moventis* repugnat, tum etiam *mobilis*. *Moventis* quidem, nam ſi influxus hominis principium ſuum ab homine ducat ſolo, aliquod ens erit cujus cauſa non eſt Deus; & propterea Deus non erit ens abſolute primum. Deinde *mobilis*: nam uti demonſtravimus, cum homo ψυχικὸς ſit ante virtutem in ipſo creatam, non ſolum influxum Dei cum influxu ſuo, ſed etiam productionem influxus ſui poſtulat. Quod ſi ψυχικὸς ante præmotionem in converſionem influat; ab agente naturali ſupernaturalis efficeretur actus ex parte: naturæ etiam ineſſet vis ad ſupernaturalia: imo totus foret naturalis, quippe concurſus Dei naturæ debitus, actum producit naturalem Alterum adnaſcens vitium eſt *partialis admixtio virtutis*. Dimidiata enim pars ab uno eſt: ab altero altera. Talis imperfectus agendi modus, tum perfectioni

ctioni divinæ reſiſti, cujus *omnia Deut.* 32. 4. *opera perfecta* ſunt: tum ſuprema indignus Majeſtate; ut cauſa creata cum increata, finita cum infinita, tam æquali congreſſu miſceantur.

36. DISTINCTE jam de utriuſque correſpondentia, mutuiſque ac reciprocis in vocatione laboribus. Phyſicus Motus eſt vis SPIRITUS; moralis VERBI. Verbum, quia Spiritu communius, in cauſando præcedit. Officium illius duplex: Præſentare homini objectum: deinde veritatem illius argumentis oſtendere. Illud eſt rei faciendæ propoſitio: Hoc ſuaſio: unde ſuaſionis objectivæ nomen. Illud proprie voluntati objicitur, hoc intellectui. Objectum ipſum eſt, credendum in Chriſtum. Huic propoſitioni ut fides fiat, denuo expromit argumenta. *Objectum* una cum argumentis recipit intellectus patiens primo. Poſtmodum accedit Spiritus, qui intellectum ad *argumenta*, quæ proprie objiciuntur ipſi, voluntatem ad *objectum* applicat. Intellectum movet ut, per collationem perſpecta argumentorum vi, propoſitionis veritatem videat, quam antea falſam & pro 1. *Cor.* 2. 14. 1 *Cor.* 1. 23. *ſtultitia* judicarat. Hinc motus Chriſtum voluntati proponit, ut in quem credendum ſit. Voluntas igitur ab

eodem Spiritu promota, in objectum fertur, & in Chriſtum credit. Tota propria igitur activitas & cauſalitas in hominem à Spiritu eſt: à Verbo nulla alia quam quod medium ſit, quo homo ſeipſum movet, & menſura ſecundum quam operatur Spiritus, intellectum ad *argumenta*, voluntatem ad *objectum* movens. Ut ſic potentiæ vitales ſecundum menſuram moralis cauſæ, phyſice moveantur ad morales actus, morali modo.

37. MOTUS hic cujus naturam & ordinem explicuimus, GRADU IRRESISTIBILIS eſt. *Diſponitur in hac voce argumentum à Majore*, CUJUS VIS EXCEDIT. Quare irreſiſtibile eſt, cujus vis excedit vim reſiſtentem objecti. Vim hanc irreſiſtibilem requirit tum natura *moventis*, tum etiam *mobilis*. *Moventis* quidem. Deus enim cum converſionis efficiens ſit *Rom.* 18. 19. ACTUS VIRES eſt; & vis illa ſicut à decreto abſoluto fluens, ſic in ſua natura INFINITA ſit; non poteſt quin finitam ſuperare creaturæ vim & reſiſtentiam. Nec enim Deus à quo omnia pendent ac reguntur, homini ſimilis, ut per potentiam in volitum effectum tendens, ita eam limitaret, ut finito modo agens à vi creata ſuperari pateretur. Quinimo vis illa Dei quam ſtulti infirmitatem putant, 1 *Cor.* 1. 25. ἰσχυρότερα

ἰσχυρότερα τ ἀνθρώπων ἐστί. Proinde 1 *Cor.* 1. 18. Δύναμις Θεῦ appellatur, humana fortior, quanto homine Deus. Poſtulat etiam idem natura *mobilis*, ſiquidem vocatio agat in hominem, ut ex nolente volentem faciat, ex reſiſtenti non reſiſtentem. Si reſiſtentiam tollat irreſiſtibilis eſt: ſi non tollat, non eſt vocatio. Hinc tanquam *Mat.* 9. 24. 26. cameli per foramen acus, ad fidem trahimur: ὅτι παρὰ Θεῦ δυνατόν. Hinc cordibus noſtris inſcribit leges Deus, quia *Jer.* 32. *confer verſ.* 40. *cum* 27. *nil ipſi difficile.* Deniq; in miſerendo quorum vult, voluntatem divinam *Rom.* 19. 18. *verſ.* 19. *irreſiſtibilem* adfirmat Paulus, ſicut in indurando quos vult. Quare motum gratiæ quo ſecundum immutabile conſilium per potentiam infinitam ad finem præfinitum procedit Deus, *Auguſt. inſuperabilem* ſtatuendum, eique liberi arbitrii *Tertull. ſubjacere poteſtatem.*

38. Sicut ex conſilio abſoluto & immutabili, ſic ex natura motus, *Terminandi Modus* eluceſcit. Hic autem *neceſſitas* eſt. Hæc autem immutabilis connexio cauſæ cum effecto. Ita igitur vocat Deus, ut in quantum cauſat, non poſſit effectu fruſtrari. Poſtulat enim vel ipſa ratio, ut voluntas creatoris ſit creaturarum neceſſitas, à

quo & propter quem, ſunt, exſiſtunt, poſſunt, agunt. Quod ſi ſine libertatis ruina hoc non poſſet; proinde creavit creaturam Deus cujus Dominus non eſt, qua nec *uti* poſſet quando libet, nec *promittere* aut *Act.* 13.48. *præſcire* quicquam ab ea faciendum, nec ipſi *ordinem* certo *præſcribere*: ipſa vero ἀπ' ἀξυσίας rueret in incertos fines.

39. Motus autem hic utcunque phyſicus, abſolutus, irreſiſtibilis, & neceſſarius: non tamen exitio voluntatis eſt, aut ruinæ libertatis. Quippe Deus qui abſolutus eſt rerum omnium dominus, libero ſuo arbitrio creatam ſubordinat voluntatem ſecundum modum ſuum, prout ipſe vult. Modis igitur biſce movet voluntatem Deus: ſed cum proportionata ipſi conformitate, commenſurata connexione, & coaptatione quadam conditioni ipſius connaturali. Et primo: abſolute quidem & phyſice prædeterminat, ſed ita in actu primo ad ſpecificationem actus, ut in exercitio libere ſeipſam determinet voluntas ſub determinatione Dei. Neque enim influxus ille determinativus COLLATIONEM tollit, qua diſcernat objecti veritatem: neque ſecundum *rationem & proæreſin voluntatis imperium*. Movet autem utraſque facultates ad connaturales iſtos actus: non tollit igitur libertatem, ſed perficit.

40. Proinde

40. Proinde nec irreſiſtibilis & infallibilis eventus effecti, liberum efficiendi modum tollit. Alioqui Judæi non libere Chriſtum morti tradidiſſent, quippe quod (prout infallibilis erat Redemptio fidelium) ex immutabili præordinatione pendebat. Neceſſitat autem voluntatem ad effectum Deus, per CERTAM directionem intellectus ad diſcretionem veri, & voluntatis, ut actum conſilio ſive judicio dianoetico definitum, non invite, ſed voluntario producat *imperio*. Et quia fit actus per eligendi & deliberandi modum, ideo radicalis & intrinſeca ſupponitur ad oppoſitum habitudo, quæ tamen non lædit neceſſitatem effecti. Nam ſicut potentia homini ineſt ad oppoſitum actus, ſic etiam potentia homini ineſt ad actum ipſum. Retrahit igitur auxilium Deus à potentia ad oppoſitum: hinc non exſerit ſe, ſed quieſcit. Potentiam vero ad actum promovet ſecundum deliberans judicii conſiliũ Dum igitur promovetur potentia ad actum, quieſcente potentia ad oppoſitum, neceſſario fit actus. Quia vero quieſcit potentia ad oppoſitũ, dum promovetur potentia ad actum, hæret intrinſeca ad oppoſitum habitudo. Et quidem præcipue ratione habitudinis hujus ad oppoſitum, actus fit *contingens*; ratione vero prædicti voluntatis *imperii*, ſecundum proæreſin intellectus, *liber*.

41. Motum moventis in mobile, immediate ſequitur RES MOTU FACTA.

42. Ea IN GENERE, eſt impreſſa FACULTAS & formale principium bonum. Quippe homini à natura nulla ineſt ad bonum vis. Proinde ante actum bonum, proportionatam actui bono requirit vim, unde informetur. Pariter & Deus motu utitur quo homini formam impingit, qua moveatur ad actum. Motio enim eſt forma mobili impreſſa & impacta : verumque quod philoſophus πᾶσα ἐνέργεια ἢ κίνησις ἢ ἐνέργειά τις ἐνυπάρχει πως τῇ ὕλῃ.

43. Formæ hujus impingendæ *modus*, fit per paſſivam receptionem in homine. Facultas enim hæc non eſt actus liber, aut vitaliter elicitus ex forma prævia, ſed forma ipſa, ſeu principium actus. Hinc in applicatione gratiæ primæ non agit homo, ſed patitur. Forma vero hæc ut primum recepta, deinceps virtutem habet informandi actus. Principium etenim vitæ eſt, quum facultates animæ incaleſcunt & viviſicantur, & potentes fiunt ad operandum in ordine Spirituali. Hinc *conſiliatrix* intellectus, *imperatrix* voluntas, *exſecutrix* potentia, fervent in opere ſupernaturali. Atque hæc eſt VIRTUS ILLA, OPERANDI EX CONSILIO, QUÆ LIBERTAS EST AD BONUM. 44. Poſt

44. Poſt impreſſum formale principium: deinceps eodem inſtanti elicitur ſecundus actus, quo vocatus à Deo, actus agit. Gratia hæc quæ ſecundum producit actum recte EFFICAX dici poteſt; inquantum efficit ut actu agat, qui modo potuit. Perinde, quæ primum actum producit, SUFFICIENS, inquantum completam & adæquatam potentiam ingenerat ad operandum. Dum autem efficit ut converſus agat in ſecundo actu, novam non ſuperaddit facultatem, ſed vitales potentias eademmet inſtructas ad actum promovet.

45. Actus hic ſecundus ſecundum entitatem phyſicam partim eſt à potentiis vitalibus, & partim à forma. Ita tamen ut tota formalitas & agendi ratio à forma ſit ſola: quemadmodum videndi ratio à potentia viſiva ſola eſt, licet ipſa viſio ab oculo partim, ut organo. Nec tamen ideo à potentiis vitalibus, & formali principio eſt actus tanquam à duobus agentibus. Licet enim duo ſint in *eſſe rei*, tamen in genere *cauſæ activæ*, concurrunt in ſimpliciſſimam cauſam unam & individuam.

46. In SPECIE Res motu facta, *Receptio* Chriſti eſt. Quippe Vocatio (uti diximus) eſt applicatio medii quo reconciliamur Deo. Medium unicum, Merita Chriſti.

ſti. Hæc vero vocatio non applicat per cauſalitatem in ea, ut infigantur nobis: ideoque in nos; ut *Receptionem* eorundem in nobis efficiat. Propterea offert ſe Chriſtus, & offertur à patre nobis ut (*Joan.* 4.10. *Joan.* 3. 16.) *donum*. Sub Specie etiam panis & vini participatur à nobis in cœna per 1 *Cor.* 11. 24. *acceptionis* modum. Verumenimvero, Receptio hæc ſpiritualis eſt ſolum, non corporalis per modum inhærentiæ formalis: quippe hoc naturæ & experientiæ refragatur, cum Chriſtus corpus phyſicum in cœlis teneat, meritaque ipſi formaliter inhærentia, non poſſint ab ipſo ſeparari.

47. Quia vero quod recipitur Chriſtus, ſolum eſt medium in quo & per quod accedimus ad Deum: proinde *Joan.* 6. 53. 1 *Joan.* 5.12. *receptio* hæc illius, qua vivimus in eo, prima eſt ac ſola in nobis vita formalis, diſponens nos ad vitales actus ſpirituales.

48. Receptio hæc quæ vita eſt in Chriſto, nihil aliud eſt, quam in ipſum fides. Sic enim *Joan.* 1.12. *Recipientibus eum*, hoc eſt, *credentibus* in nomen ipſius. Panem etiam in cœna recipere, eſt in Chriſtum credere: & ipſius *eſtio* fides eſt. Secundum autem prædictam formam, introducitur à vocatione

ne primo per modum actus primi, cujus ratione recipiendi habitus eſt, ſive infuſa Chriſti receptivitas. Atque hic primum emergit mortuus, & in Chriſto vivit; & per ipſum in quo vivit, coram Deo vivit. Et quia vita hæc noſtra eſt, proinde formale ac vitale principium eſt ad vitales actus Spirituales. Hinc pro varia diſpoſitione ipſius ad objecta varia, virtutes omnes & habitus omnes bonos in ſe radicatos *continet*, tanquam proprietates in forma, virtualiter ab ipſa pendentes in actu ſecundo.

49. Fides vivifica ſic impacta homini, novam deinceps influentiam recipit, qua ab ipſa, ceu inhærente vita, vitalis erumpat motio. Atque hoc in finem illum, ut ejuſdem fidei fructibus, qua Chriſtum recipimus, grati eſſemus ei, qui Chriſtum acceptare pro nobis, & nos per fidem in ipſum, propter ipſum voluit.

50. Duplex eſt hic actus fidei: *operatio*, qua egreditur fides è voluntate *directe* ad objectum Chriſtum, quæ *in* voluntate latuerat prius; deinde *opus*. Hoc vero proceſſus obliquus fidei ad objectum hoc vel illud, in decalogo præſcriptum, ad quod diſpoſita fuerat in actu primo. Proceſſus ille pro objecto varius, ſunt bona opera.

51. Completa conditione à parte noſtra: ſuam

ſuam etiam eodem inſtanti perficit, qui immutabili veritate conſtans eſt ac fidelis Deus. Conditio autem à parte ipſius, eſt (uti diximus) RECONCILIATIO per juſtificationem in adoptione conſiſtens.

52. Poſtquam fœderis hujus applicatio ad eſſe perducitur, deinde conſervatur à Deo ut in eſſe producto continuet. Fœdus enim quod pangit Deus, *Jer.* 42. 40. ipſe *æternum* eſſe pronunciat. Nec mirum, cum eadem irreſiſtibili vi, qua procreatur, conſervetur ab ipſo. *Joan.* 10. 29. *Pater meus* (inquit Chriſtus) *eſt major omnibus*: unde rapi è manibus ipſius ἀδύνατον affirmat. Neque vero major inimicis ſolum, verum etiam defectibilitate voluntatis. Dum enim conſervat ne rapiantur, tuetur, quo minus eliciatur aſſenſus ad defectionem. Rapere enim non eſt cogere, ſed ſuaviter allicere.

53. Conſervationis hujus effectus eſt PERSEVERANTIA. Hæc vero EXISTENTIA IN FOEDERE SINE INTERRUPTIONE. In fide quidem propter infinitam Dei virtutem operantem in nos: in reconciliatione vero propter conſtantem Dei veritatem & fidem.

54. Effectum hunc ex irreſiſtibili conſervatione illa certo produci, ſicut ex natura actus, ſic promiſſione divina confirmatum habemus.

habemus. Quod enim Judæis, idem & nobis pollicetur Deus: *Jer.* 32. 40. *nos nunquam ab ipso recessuros.* Neque enim promittit hoc ex præscientia, tum enim prædictio hæc esset sola, non promissio. Neque conditionate promisit, promisit enim ad obloquentium obturanda ora, qui de Judæorum excidio, & fœderis sui ruptione conquesti sunt. Signo & sigillo ratum confirmabit eventum. Reliqua connexa absolute promisit: singula denique, quia *Joan* 4. 14. *nil ipsi difficile.* Nec difficile quod Christus: Eum qui gratiæ aquam hausit, non sititurum rursus. Neque enim aqua illa æterna vita est, quippe quia *tendere* dicitur in æternam vitam. At cum actione coincidere terminus non potest.

55. Quin eandem perseverantiam fidei ipsius natura postulat: quippe σπέρμα est sive σπόρα ἄφθαρτος, quæ mori nequit: tum *radix* illa, cujus succus πρόσκαιρος effici non potest ex afflictionum interventu. His accedit gloria Dei ipsa; neque enim *amor* ipsius unionem mysticam dissolvi, nec *Majestas* conatus eludi, aut effusum Christi sanguinem frustrari patietur, creatæ voluntatis arbitrio.

56. Quia vero perseverantia includit actuum futurorum afflictionem: inde *nota*

nobis

nobis alias esse non potest, quam per causam in fieri. Causa vero cum sit infallibilis Dei vis ex pacto promissa credentibus: hinc de fide certi proinde de causa infallibili certi sumus, ac propterea de effectu ipso. Perseverantiam in terris, immediate sequitur δοξασμὸς in cœlis: quo fruuntur omnes qui semel credunt.

FINIS.